

num, scilicet delectabile. Quare ut hæc pravæ voluntatis petulantia pro merito puniatur, æquum est, ut subire cogatur aliquid, quod alioqui naturaliter fugit. Cujus rei typus erat asina illa Balaam, quæ videns angelum in itinere, gladio evaginato contra se stantem, avertit se de itinere, et ibat per agrum, sed verberabat eam Balaam donec ad semitam reduceret: qua reducta invenit iterum angelum, quem fugerat, inter angustias duarum maceriarum, ubi jam fugere non poterat, Num. XXII. Simili enim modo sensualitas hominem ad peccandum contra Deum ducens, si quando advertit Dei minas, monentis ne procedat, quia perversa fit via ejus Deoque contraria, quid agit? Abducit eum per agrum boni delectabilis, ut sic obstantis sibi Dei quodammodo oblitus, libere in peccatum ruat. Quod si redierit per pœnitentiam ad virtutis tramitem, inveniet eum, quem fugit, satisfactionis gladium, et ibit quo non vult, qui ibat quo non debuit.

VII. Ut conformemur Christo, qui pro nobis satisfecit, et sic ejus satisfactionem nobis applicemus. Palmes ut trunco implantetur, debet prius incidi, sicut et truncus incisus est: sic ut quis succum meritorum Christi ad se trahat, debet Christo in passione conformari. Satisfecit sine dubio pro nobis Christus, sed quoad sufficientiam, non quoad efficaciam; ad hoc enim secundum requiritur cooperatio nostra. Nam si sitibundo alicui exercitui monstres fontem aquæ copiosum, statim dicit ille: Satis est nobis, nihil ultra querimus; et tamen si extinguere sitim velit, aquam haurire debet. Et tu si bibere velis, demittenda tibi primo amphora ut aquam haurias; effundenda deinde aqua in vasculum, gestanda denique humero usque in domum tuam. Preparavit nobis Christus fontem aquæ salientis in vitam æternam, hoc est, nunquam deficientem in æternum: fontem inquam meritorum suorum non tantum nobis sufficientem, sed et superfluentem. Sed quia ante te puteum cernis, num ideo statim bibisti? Demitte primo, amphoram cordis tui et hauri contritionis aquam: deinde, per confessionem effunde sicut aquam cor tuum: denique, pone eam super humeros, et per satisfactionem porta peccatum tuum. Portavit sane iniquitates tuas Christus, dum crucem bajulavit: sed nonne legis Simonem Cyrenensem angariatum esse ut portaret crucem post Jesum? Luc. XXIII. Quasi posteriorem tantum sublevavit et leviolem, Christus vero gestavit graviolem, ut vult Cajetanus ibid. Itaque gestavit crucem quidem Christus, sed nisi tu simul portes, et leviolem saltem ejus partem tollas, passionem ejus tibi non applicas. In cujus rei typum, Samuel

sciens spiritu prophetico paulo post adventum Saulis ut ungatur in regem, jussit e prandio suo asservari armum pecudis; unde ait illi: *Ecce quod remansit, pono ante te et comede*, I. Reg. IX. Armus seu humerus laboris instrumentum est; hunc ponit post cœnam passionis suæ ante te Christus, ut tu supponas humerum ad laborem pœnitentiæ. « Remansit, (ait D. Gregor. ad illa verba, I. Reg. IX.) quia non omnia nostra Christus explevit. Per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit ut qui redimi et regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc residuum viderat Paulus qui, II. Tim. II. *Si compatimur*, ait, *conregnabimus*: quasi dicat: Quod explevit Christus, non valet nisi ei qui id quod remansit explevit. » Hæc Gregor. Paulus I. ad Corinth. I. ait: *In omnibus divites facti estis in illo* (Christo scilicet) *in omni verbo et in omni scientia, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia*. Quomodo nihil deest, cum ad Coloss. I. dicat: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea*? Respondeo, non deest homini gratia Christi; sed deest sæpe homo gratiæ, dum ei non cooperatur: sic enim ad Hebr. XII. ait idem: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei*.

Itaque auditores nemo se decipiat: quisquis de peccatis, maximis suis hostibus, perfectam reportare vult victoriam, non sit contentus accepisse secum Judam, seu confessionem, fudisse etiam lacrymas contritionis; sed præterea addat jejunium aliaque satisfactionis opera, iisque velut hostiis Deum omnino placet, ita ut non modo culpæ, verum etiam pœnæ culpæ debitæ deleantur, etc.

## CONCIO V.

## SATISFACTIO QUOMODO FACIENDA.

I. In hoc sæculo. — II. Copiose. — III. In eo in quo quis deliquit. — IV. Publice in delictis publicis gravibus. — V. Ab ipsomet peccatore. — VI. Constanter.

## THEMA.

*Offer munus tuum, quod præcepit Moyses*  
Matth. VIII.

Impiissimus Calvinus non dubitavit inter alias innumerabiles blasphemias, effutire etiam illam: « Quid, quæso, nobis præstitisset Christus, si adhuc pro peccatis pœna templi alii exigeretur? » lib. III. instit. cap. IV. § XXIX. et seq. O linguam præcidendam! Quasi vero non sit multum Deo reconciliari, ab æterna morte liberari, divinæ gratiæ participem fieri, per gratiam jus sortiri ad vitam æternam, et pro infinito debito pauculos

obolos dare? Deinde quis est qui nesciat, ipsam nostram satisfactionem donum Dei esse a Christi morte profectum? Rursum annon majorem sanctis gloriam parit, si pro suis peccatis aliquo modo satisfecerint, quam si nullo prorsus? Nonne laudabilius est et justitiæ congruentius solvisse sua debita, quam ex domo exhereditatum esse? Sed ut alia taceam, quæramus ex Calvino, quamobrem miserit Christus leprosum ad sacerdotem, ut munus suum offerret ex præscripto veteris legis? Cur ita durus et immisericors fuit Dominus, ut a pauperulo leproso, postquam eum sanavit, munus aliquod exigeret? Sed relicto hoc stigmatico et pediculus propheta, interrogemus nos salubrius quomodo fieri debeat illa satisfactio: faciendam enim esse jam supra ostendimus concione præcedente.

I. Facienda in hoc sæculo, nam in purgatorio strictior exigeret solutio. Ecclesiastici XV. dicitur: *Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam*. Ubi tacite innuit purgationem per aquam (quam præponit alteri) hujus scilicet vitæ, eligendam esse: quis enim nescit mitiorem esse purgationem aqueam, quam igneam? Atqui purgatio per ignem in purgatorio erit. Hinc Jerem. c. I. in visione primo videt virgam, secundo ollam succensam. Qua de re Chrysost. hom. XXII. ad pop. ait: « Vide quomodo primum virgam videt propheta, postea ollam super ardentem: demonstrans, quod non sustentem virgæ castigationem, ignis suscipit. » Hanc ollam deprecatur David, Ps. VI. *Domine, ne in furore tuo, id est in inferno, arguas me, neque in ira tua, id est in purgatorio, (siquidem ira est brevis tantum furor, furor vero semper durat ut in inferno) corripas me*. Ita exponunt S. August. et Gregor. apud Bellarm. ad initium Ps. XXXVII. Idem Bellarminus refert conc. ult. de domin. IV. advent. fuisse juvenem nobilem et valde delicatum, qui cum vitam admodum severam arripisset, reprehensus ab amicis, quod corporis teneritudini non parceret, respondit se ob id ipsum, quod teneritudinis suæ bene sibi conscius esset, rigorem illum assumpsisse. Cum enim cogitarem, ait, tam delicatum corpusculum non bene ferre posse purgatorii pœnas et inferni, ego delicatus has mitiores elegi, ut graviores illas evaderem.

II. Facienda copiose; nescis enim quantum pœnæ pro unoquoque peccato tuo reservaverit tibi Deus. Certe quantamcumque reservaverit, dummodo finitam, exigua æstimanda est, respectu culpæ dimissæ, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Num. XIV. dixit Deus Hebræis: *Juxta numerum quadraginta dierum, quibus*

*considerastis terram, annus pro die computabitur, et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras*. Ubi Origenes, hom. VIII. super Num. ait: « Si cuique peccatori, annus adscribitur ad pœnam, pro unius diei peccato, etc. vereor ne forte nobis, qui quotidie peccamus, nec ipsa forta sæcula sæculorum sufficere possent ad pœnas luendas. Neque hoc contra Dei immisericordiam putes. Nam si vulnus corpori infligatur aut os confringatur, etc. sub unius horæ spatio solent hæc corporibus accidere et pluribus postmodum cruciatibus aut doloribus exactis multo vix tempore sanari, etc. » Hæc ille. Propterea Jud. X. dicunt illi: *Peccavimus, redde tu nobis, quidquid tibi placet, tantum nunc libera nos*. Et veri pœnitentes parum esse existimarunt, quidquid tandem pœnitentiæ sibi injungeretur. Cæsarius, I. I. mirac. c. XXXV. narrat, cum in familiari sermone de pœnis inferni territa mulier a sacerdote interrogasset, quid fieret de concubinis sacerdotum, et ille respondisset quasi per jocum, non posse eas veniam impetrare, nisi clibanum ardentem ingrederentur; illam serio id existimantem dici, seipsam clibano inclusisse, visamque sub forma columbæ animam ejus evolare in cœlum, cumque nihilominus cadaver, tamquam ejus quæ seipsam interemisset, sepultum esset in loco profano, cœlestibus luminibus illustratum fuisse. Non dissimile factum alterius, cui S. Antonius Patavinus (ut habetur in ejus vita) confitenti, quod pede matrem protrusisset, cum dixisset, dignum videri pedem amputatione, amputavit eum sibi; licet ope ejusdem Antonii divinitus postea recuperarit. Similiter Otho IV. imper. anathematis fulmine ab Innocentio III. percussus, ac tandem absolutus, tamen moriturus pœnitentiam habuit, ut coquinariis suis juberet collum suum calcaneis premere, et ut vilissimam Dei creaturam conculcare, Crantz. I. VII. Saxon. c. XXXVII. de Salomone Hebræorum traditio est, apud Bedam in fragmentis ad I. I. pr. (ut refert Pineda de rebus Salom. I. VIII. c. I.) eum solemniter pœnitentium quinquies tractum per plateas Jerusalem causa pœnitentiæ, et cum quinque virgis venisse in templum, quibus ut verberaretur a legis peritis postularit; sed illis renuentibus in christum Domini manum mittere, a seipso acriter flagellatum.

Mirantur multi quamobrem Nicodemus centum libris myrrhæ et aloes unxerit corpus Christi mortuum, Joan. XVI. Sed respondet S. Thomas, p. III. q. LI. art. II. ad II. id non tantum ex more gentis, sed etiam ob mysterium esse factum ut mirum indicetur debere pœnitentem copiosa satisfactione amare pœnitentiæ totum se inun-



gere, ut totus eam imbibat, omnesque ejus sensus et membra, per quæ ingredi vel in quibus habitare solet peccatum, a corruptione deinceps præserventur.

III. Consulto etiam facienda in eo quo peccatum fuit. Ita enim Chrysostomus, hom. XI. super Matth. « Qualis, inquit, præcessit offensio, talis debet sequi reconciliatio: si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare: si autem verbis læsisti fratrem tuum, vade et satisfac ei: si autem operibus aliquem offendisti, redde ei quæ abstulisti, et pœnituiisti, etc. Quod si forte castigaveris impotentem injuste, dona ei aliquid pro injuria dignum. Sicut scriptum est in lege: (Exodi XXI.) Si percusseris servum tuum et frigeris illi dentem, dimitte eum liberum. Secundum hoc intelligendum est injuriæ peccatum beneficio esse dissolvendum, alioqui nisi quem factis læsisti, factis placaveris, sine causa oras ad Dominum. Nam quid prodest tibi, si alter pro te orat ad Dominum, alter adversum te interpellat Deum? Et si ad istius orationem vult tibi Deus misericordiam facere, illius interpellatio non permittit. » Hæc Chrysost. Stultus haberetur, qui in brachio gerens vulnus, pedem obligaret; ita incassum laboras, si cum dimittere injurias aut restituere ablata debes, oratione vel jejunio vel elemosyna debitum hoc exsolvere velis. Hunc in modum Hebræi cum feminas occidere debuissent, utpote quæ ipsis occasio libidinis et idololatriæ fuerant, mares occiderunt et feminas reservarunt, Num. XXXI. unde iratus illis Moyses inquit: *Cur feminas reservastis? Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, et prævaricari vos fecerunt in Domino, etc.*

IV. Facienda publice ad ædificationem aliorum saltem pro peccatis publicis. Ejusmodi pœnitentiam requisivit Deus ab Achab, III. Reg. XXI. Unde ad Eliam ait: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quid attinebat videri humiliatum ab Elia, si Deus illum vidit? Voluit nimirum Deus ut pœnitentia Achabi innotesceret etiam hominibus, alioqui nec sibi placitura. Propterea in veteri lege, qui vere pœnituerant, palam id fecerunt; unde vestimenta sua sciderunt, III. Reg. II. Esth. IV. vestium ornatum abjecerunt, Exod. XXXIII. Jonæ III. cilicio operiebantur, III. Reg. XXI. et alibi sæpe cinere capita consperserunt, Esth. IV. Thren. II. etc. ambulabant demisso capite, III. Reg. XXI. voce magna planctum edebant in plateis, Esth. IV. Sed in Ecclesia præsertim frequens fuit publica pœnitentia, nimirum: « Ut concinerati, (ita loquitur Tertullianus, apud Baron. anno 216.) cum dedecore et horrore compositi, prosternentes*

in medium antevideas, ante presbyteros, omnium lacrymas suadentes, omnium vestigia lambentes, omnium genua detinentes recipentur mœchi et similes » Talem pœnitentiam egit Henricus Angliæ rex persecutor S. Thomæ Cantuar. episcopi, tametsi eum non jussit occidi, ansam tantum occisioni ejus præbuit; venit enim nudis pedibus ad summum templum Cantuar. ad sepulcrum martyris, et primo locum cædis ejus lacrymis rigavit, deinde in seipsum sepulcrum nudatus, caput et scapulas per fenestram imposuit: tum ab episcopo quinque ictus, et post plusquam ab octoginta monachis tres ictus accepit, deinde tota nocte ibi pernoctavit Baron. anno 1174. In Concilio Toletano legitur episcopus quidam Potamius nomine, qui ob tactum femineum ipse se primo sponte ergastulo clausit novem mensibus ibidem pœnitens, deinde patribus Concilii illius peccatum suum aperiens, ab iisdem perpetuæ pœnitentiæ addictus est, ut in abjectis officiis quoad viveret deserviret; cum nihilominus affirmarent humanius eum eo actum esse, ac rigor regule postularit, apud Bellar. conc. ult. dom. IV. d. 11.

V. Consultius facienda ab ipsomet pœnitente per propriam et voluntariam castigationem, non expectando donec Deus ipsum hic per cruces et tribulationes castigat, sic enim facilius et suavius liberabitur a debito. Eripienda est Dei manibus virga et præveniendæ ejus pœnitio, quia gravis est et dura nimis Dei punientis manus, teste Davide, Ps. XXXI. *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, quia nimirum David castigabatur a Deo ob adulterium per plurima verbera, per mortem infantis, per filię Thamar violationem ex incestu, per Amnonis filii necem, per Absalonis persecutionem dirumque ejus interitum. De his ergo flagellis loquitur ibi David, teste Bellarmino, ibid. Gravitas hujus manus apparet in occisione triginta millium, Exod. XXXII. et septem millium, II. Reg. XXIV. et septuaginta filiorum Achab, IV. Reg. etc. Unde Job XIII. *Manum tuam, inquit, longe fac a me, et apostolus ad Heb. X. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Servus post delictum suum sponte vadens ad carcerem eumque sibi aperiri petens ac semet includens, facilius obtinet veniam et citius e carcere dimittitur, quam si per sententiam domini carceri adjudicetur; ita procul dubio et Deus propria et voluntaria castigatione citius mitigatur, quam si ipse castigare debeat. Unde qui pœnam suam illo differt, fugit arma ferrea et irruit in arcum æreum, ut ait Job, c. XX. siquidem balista bombardæ gravius quis vulneratur, quam gladio. Et sicut cervi**

## CONCIO VI.

QUOMODO IN INFERNO CRUCIANDI QUINQUE SENSUS.  
I. Quid videbunt ibi oculi? — II. Quid audient aures? — III. Quid percipient nares? — IV. Quid gustabit lingua? — V. Quid sentiet tactus?

## THEMA.

*Ibi fletus et stridor dentium. Matth. VIII.*

Quam vere dixit Deus, Ezech. XVIII. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat?* Id vel ex eo patet, quod non solum Dominus Deus verbis nos hortatur sedulo ut fugiamus a morte æterna, sed etiam quibusdam gloriæ et gehennæ præludiis. Etenim cœlestis gloriæ, quam dare nobis optat, speciem nobis exhibuit in monte Thabor. Gehennæ vero typum expressit in decem plagis Ægypti, quæ propterea decem fuere, quia omnis generis pœnas prænotabant in inferno futuras. Primo puniti enim sunt per omnes creaturas; per elementa, terram, aquam, aerem et ignem; per mixta, grandinem et sanguinem; per animalia, ranas, muscas, ciniphes, locustas; per solem et astra, cum se subducendo tenebras induxerunt; per homines, Moysen et Aaron, per angelos et Deum. Secundo, puniti sunt in omnibus pene bonis, scilicet in fructibus agrî, in animalibus, in filiis, in auro et argento, in corpore per ulcera. Tertio, puniti in omnibus sensibus, in visu per tenebras, in auditu per tonitrua, in olfactu per cadaverum peste absumptorum fœtorem, in gustu per sanguinis pitum et sitim, in tactu per dolorem ulcerum, etc. Quoniam igitur in hodierno evangelio Dominus iterum nobis describit inferni pœnas, cum dixit: *Ibi erit fletus et stridor dentium, videbimus has accuratius.*

D. Anselmus, in com. per fletum angores animi, per stridorem dentium angores corporis vult significari; idque satis congrue: nam fletus ex apprehensione rei tristis nascitur, stridor vero dentium ex corporis afflictione. Erit igitur in inferno fletus et stridor dentium, quia patientur ibi vires animi et corporis, sensus externi et interni; sed quid patientur? Et in primis quid ibi videbunt oculi? Ægyptii videbant inter alias plagas unam tenebrarum densissimarum, in quibus varia eos spectra terrebant et personæ tristes illis apparentes pavorem eis præstabant, Sapient. XVII. Videbunt etiam damnati tenebras exteriores, id est, densissimas, et in illis spectra et monstra terrificæ, dæmones videlicet, horridissimas quas que formas assumentes et representantes. Illi

dum pennarum terriculamenta fugiunt, in retia incidunt ac pereunt; ita homines castigationem sui fugientes, in Dei corruptionem incidunt. Barbitonsor jubet tondendum sibi met pectere capillos; ne si ipse id faciat, capillos ei evellat. Cave tu ne Deus et pectere aliquando cogatur; pectere nunc te ipsum.

VI. Denique, salubriter sit per omnem vitam, saltem quoties recordamur peccatorum dimissorum, vel nova rursus committimus. Hinc enim pœnitentiam, quasi pœnæ tenentiam dictam esse vult S. Augustinus, lib. de vera et falsa pœnitentia, c. XIX. et hanc tenuisse semper Adam post lapsum scribit S. Ambrosius, in Ps. CXVIII. in ea verba: *Adhæsit pavimento anima mea, et David, qui licet audierit jam, dimissa sibi ecce peccata, adhæsit pavimento ponens indesinenter in pulvere os suum. Unde et Ps. L. ait: Amplius lava me, etc. quoniam peccatum meum contra me est semper: et Ps. XXXVII. Dolor meus in conspectu meo semper: et ibid. Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum: et S. Paulus ad Rom. IX. Tristitia mihi magna est et continuus dolor cordi meo: memoriam peccatorum suorum Paulus nunquam deposuit, dum toties ea commemorat. Similiter fecisse S. Petrum, Arsenium, Magdalenam, Mariam Ægyptiacam, Thaidem, aliosque complures, referunt historiæ. Hæc postrema, ex institutione B. Paphnutii abbatis, non audebat Deum nominare, nec manus in cœlum tendere; sed una ejus vox erat: *Qui plasmasti me, miserere mei.* Quæ triennio cellæ se inclusit dixitque: « Testor Deum, quia ex quo huc ingressa sum, omnia peccata mea velut sarcinam statui ante oculos meos et flebam semper illa conspiciens. » Unde bene dixit abbas ille sanctus: *Ut umbra corpus, sic compunctio te ubique comitetur.* Cujus rei ratio est, quod dum hic satisfacimus, alibi iterum peccamus, et ita continuo foramen novum facimus in veste animæ nostræ, dum aliud sarcimus. Audi Chrysost. hom. XX. in ep. ad Rom. « Quemadmodum, inquit, in ædibus facimus, inveteratas perpetuo restituentes, ita et in teipso facias. Peccasti hodie? Inveterasti mentem tuam: ne desperes, ne recidas, sed renova ipsam resipiscentia, lacrymis, confessione, bonorumque operum studio. » Hæc ille.*



inquam oculi, qui nunc satiam aspectibus formarum speciosarum, impudicarum, et profanarum nequeunt, totque meretricias imagines in cubiculum cordis introducunt; illi tunc versantur in perpetuo tremore, quia in caliginosa nocte videbunt dæmonum formas abominabiles. S. Bernardus super Psal. LXXX. refert quemdam de suis monachis, aspectu dæmonis ita fuisse teritum, ut horrendum inclamans omnes sub nocte excitarit monachos et tota illa die vix rationis compos fuerit. S. etiam Antonius, p. IV. sum. tit. XIV. ca. V. § IX. ex vitis pp. refert quemdam fratrem ordinis Prædicatorum viso aliquando dæmone dixisse, citius se intraturum in fornacem succensam, quam rursus dæmonem aspiceret. Denique, ex dæmonum aspectibus non homines tantum in ægritudines et quasi amentias inciderunt, sed et equi sæpe æsteri et furibundi facti sunt. Exemplum de juvene parentum contemptore qui noctu a dæmone apprehensus, sed ab alio vix tandem vindicatus, adeo territus fuit, ut pallium illius dimittere nollet et mentis impos esset, semperque præ oculis haberet speciem dæmonis, refert Alexander, l. IV. c. XIX. Ejusmodi autem spectris perpetuo infestantur damnati. Jam si multi per cæmeterium soli ambulare in tenebris, aut pernoctare in aliqua domo, præsertim si ea spectris infestetur, non audent, nec magnis pollicitationibus ad hoc adduci possunt; quantis in terroribus versantur inferi?

Deinde, videbunt ad majorem pœnam suam, amicos et propinquos suos, socios, item et complices scelerum suorum in paribus suppliciis. Nam ut ait S. Gregorius, lib. IX. moral. super id Job: *Ubi nullus ordo, etc.* « Illic ignis et ad consolationem non lucet et tamen ut magis torqueat ad aliquid lucet. Nam sequaces quoque suos secum in tormento reproberi, flamma illustrante, visuri sunt quorum amore deliquerunt: quatenus, qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amaverunt, ipsorum quoque eos interitus in augmentum suæ damnationis affligat. » Sic Gregorius. Quam crudele spectaculum putamus illud fuisse, quo Mauricius imp. videre debuit, quinque filios suos ante se creduliter enecari et se postremum a Phoca, prius sibi subiecto milite? Quam crudele illud, quo Alexander Hyrcani filius et dux Judæorum jussit una die octingentos in cruce tolli ipsa meridie et ante oculos pendentium (ut non una sed multis necibus interirent) uxores et liberos singulorum crudelissime trucidari? ut refert Hegesip. l. I. de excidio Jerosolymæ. Non deerit inferno ejusmodi supplicium; tota enim Scriptura clamat

delicias et voluptates mundi vertendas ibi in amaritudinam, luctum ingentem, etc. Quicumque ergo hic oculis suis fræna laxarunt ad discurrendum ubicumque volebant, ibi partim nihil videbunt et tenebris involventur, partim omnia trista et terribilia videbunt. Quicumque etiam hic uxorum vel liberorum suorum superbos ornatus videre gestiebant, ibi intuebantur eorum supplicia. Quicumque hic sociorum et amasarum suarum aspectum et præsentiam avidè quærebant, ibi detestabuntur, et in livorem tamen ac vulnus suum sustinere cogentur. Quicumque denique hic pauperes, afflictos, ægros, ægre aspiciabant, ibi longe tristiora videbunt.

II. Quid audient ibi aures? Ægyptii in septima plaga, audierunt tonitrua horrida mixta cum fulguribus discurrentibus super terram, et ingenti grandine: talia audient et damnati; nam imprimis tonitruum et fulmen illud: *Discedite a me maledicti*, usque ad extremum illum diem, et ab illo in omnem deinceps æternitatem semper in auribus eorum tonabit: *Tonabit enim Deus in voce sua mirabiliter*, Job, c. XXXVII. audient deinde terribiles dæmonum voces, veluti omnis generis ferarum rugitus, mugitus, boatus, ululatus, clangores etiam tubarum horridos et clamores inconcinnos; ejusmodi vocibus dæmones sæpius infestabant viros sanctos. Quibus accedet tristissima illa musica, damnatorum videlicet ejulatus, gemitus et lamenta, blasphemiarum, execrationes, etc. Ubi stridor dentium erit organum, fletus vero vivæ vocis musica, strepitus catenarum, malleorum, flammarum, sonitus erit instrumentorum. O si vel parum admovere aures ad foramen aliquod inferni possemus, et audire musicam illam! Quantum inde fructum caperemus! Imaginemur saltem nobis funestos aliquos et terrificos sonitus, qui in mundo quandoque audiuntur. Quam triste est audire tonitrua insolita, lamenta et ejulatus eorum qui ob delicta sua vivi exuruntur! Clamores acierum prælio decertantium! Narrat Plut. in Sylla, quod cum is aliquando in templo coram senatu peroraret, foris interim ingentem stragem sex millium hominum fieri jussertin unico circo conclusorum. Ex qua tantus ferientium gladiatorum strepitus et lamentantium hominum ejulatus audiebatur, ut senatores omnes attoniti et pavidum vix in templo contineri possent, nedum attendere ad perorantem, licet monerentur a Sylla, ne curarent ea, quæ foris agerentur. Quid igitur erit audire gemitus innumerabilium hominum in inferno, quando omnis generis tormenta desævient in illos, et nemo unus erit, qui alteri condoleat aut opem ferre queat, sed ita in æternum omnes

cruciabuntur? Huc accedent mutue accusationes et execrationes, quibus ipsimet reprobi in se mutuo detonabunt; siquidem unus alteri causa damnationis fuit. Maledicent liberi parentibus, quod nimium sibi indulserint, mala exempla dederint, injusta bona reliquerint; maledicent parentes liberis, quod nimium eos amaverint. Cujusmodi exemplum recenset S. Antoninus, IV. p. sum. tit. XV. c. XV. § III. de patre et filio sibi mutuo in inferno maledicentibus ob injustam hæreditatem. Ibi dicit socius ad socium: *Pereat illa dies, in qua te primum vidi, qua alloqui ac decipere agressus sum; te enim in vitia et me in hæc supplicia simul præcipitavi.* Cui respondit alter: *Pereat illa dies quæ te latronem ac carnificem animæ meæ obtulit, et qua tuis venenatis sermonibus ac consiliis aures præbui.* Hæc illorum erit symphonia, hic concertus. Nimirum quia hic aures oblectabant colloquiis et carminibus impudicis, profanis cantibus, detractionibus, etc. ideo ibi contraria debetur illis musica; ut ita jure queant dicere illud Job. XXX. *Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium.*

III. Quid odoris percipient ibi nares? Ægyptiorum quinta plaga erat pestis animantium, ex qua maximus fœtor cadaverum undique jacentium necessario provenire debuit; sic etiam in inferno intolerabilis erit fœtor. Nam imprimis de cadaveribus eorum *ascendet fœtor*, ait Isaias, cap. XXXIV. Neque mirum hoc videri debet; si enim in viventibus peccatoribus sancti aliqui fœtorem perceperunt, ut Sancta Birgitta vidua, et Sancta Catharina Sennensis, ita ut diutius cum illis loqui et consistere non possent, ut est in vita eorum: et si Dominus damnatos ad judicium sistendos vocavit hœdos, Matth. XXV. quam fetidum putatis erit stabulum illud tot hœdos in se claudens? Impius Antiochus ad extremum vermibus seatens ita fœtebat, ut non modo ipse jam fœtorem suum ferre non posset, sed eo etiam totum exercitum suum gravaret, ut habetur II. Macch. IX. Mare mortuum, ob peccata Sodomæ, quæ in eo loco stetit, continuum fumum et sulphur quasi reliquias incendii illius exhalat, ut ait Philo. l. de Abraham; et secundum Borchardum, oculatum testem, adeo tetrum vaporem fumat, ut vicina ad mediam dietam sterilia reddat, ita ut ne gemen quidem producant. Jam si unius peccatoris fœtor totum exercitum gravavit, et si locus ille, in quo dudum habitaverunt malitiosi, in hodiernum usque fœtet; qualis erit ille fœtor, qui ex ipsismet damnatorum pene innumerabilium cadaveribus perpetuo ascendet? Quanta foret pœna, alligari fetido cadaveri, donec mortui fœtore

vivus conficeretur: quod Macrinum imperatorem fecisse refert Fulgosius, libro IX. Sed quem admodum ignis noster respectu ignis tartarei, pius tantum ignis est, ut ait S. Polycarpus presbyter, in vita S. Sebastiani; sic fœtor etiam ille pius tantum censeri debet, si cum tartareo comparetur, ubi colluvies et innumerabilium cadaverum, et ubi post judicium et mundi purificationem confluet fæx omnium elementorum et totius mundi, ut vult S. Basilius. Ad hæc sussitum etiam suum proferent cacodæmones, qui nunquam fere hic apparent aut disparent sine ingenti fœtore, qui non modo naribus, sed quandoque etiam vestibulis multo adhæret tempore, uti cuidam Adamo monacho contigisse scribit Gaguinus, in hist. Franc. Et quem quæso hirci illi putidissimi fœtorem exhibebunt in patria sua si talem secum ad exteras ferunt nationes? Hic nimirum odor illis delicatulis, qui delibutis incedunt vestibulis, qui flores gestant in auribus et ramos applicant naribus etiam in templo, uti vidit facientes Ezechiel, capite VIII. et minus gratum odorem ægrorum et pauperum aversantur; interim vero fœtorem peccati et fœtidissimam libidinem nequaquam aversantur, sed Sodomam e corpore suo faciunt: illis inquam *erit pro suavi odore fœtor*, ut prædicit illis Isaias, cap. III. Qui si saperent, deberent modo ex fœtore illo tartareo conficere sibi nodum odoriferum, et illum sæpe sæpius applicare naribus suis, ut illius consideratione virtutem amplecti et peccata vitare discerent, sicque æternum illum fœtorem possent declinare.

IV. Quid gustabit tibi lingua? Ægyptiorum sane prima plaga erat, conversio aquarum in sanguinem, ita ut aquæ potabiles non essent; idque merito fecit Deus Ægyptiis, quia etiam ipsi sanguine infantium Hebræorum infecerant sua flumina submergendo eos: ergo damnati pascentur primo fame et siti; sic enim testatur David, Psal. LVIII. *dicens: Famem patientur ut canes, et circumcubunt civitatem:* et Isaias, cap. LXV. *Hæc dicit Dominus Deus, inquit: Ecce servi mei comedent et vos esurietis, servi mei bibent et vos sitietis.* Idque demonstravit Dominus in epulone qui nec guttam quidem aquæ, quam petebat, potuit obtinere. Non petierat ille vas integrum, nec ut Lazarus totum intingeret digitum; sed extremum digiti, non ut sitim exstingueret sed ut linguam solum ejus refrigeraret: id tamen non obtinuit. O sitim inauditam! O terram aridam et maledictam! Quis nescit, fame perurgente, homines fœtidissima quæque comedere, fimum, liberos proprios, imo propria membra? Sitis adhuc intolerabilior putatur. Quid erit igitur æternum sitiire et esurire? Sed